



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

M. Fabii Quintiliani Institutionum Oratoriarum Libri Duodecim

Summa diligentia ad fidem vetustissimorum codicum recogniti ac restituti

M. Fab. Quintiliani Declamationes Undeviginti. M. Fabii Avi Et Calpurnii
Flacci Declamationes. Auctoris Incerti Dialogus De causis corruptae
Eloquentiae - Cvm Variorum Notis

Quintilianus, Marcus Fabius

Lugd. Batav. ; Roterodami, 1665

CCCLXXXVIII. Avia testis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12889

CCCLXXXVI.

1 Iphicrates cum gladio.

Reus est Iphicrates, quod vim iudicio fecerit, cum Cotyn Thracum regem in id adduxisset, & gladio cinctus ipse venisset.

DECLAMATIO.

Non tulimus tabellas, sed fugientes projecimus: non iudices reum absolverunt, sed reus iudices. Quid est vis? hæc fit alias patientia, alias metu, quorum alterum ad corpus, alterum ad animum pertinet. Si male iudicatum est, fuit aliquid, quod iudex timeret. Hoc sic probo, qualis in iudicium venis? Ego illum habitum reorum noveram. Ad summam, id solent rei à iudicibus petere, quod nuper iudices petiere à reo, ut sibi parceret.

SERMO.

Reus dicit, non, inquit, hoc animo feci, ut vim facerem, ideo, inquit, ² gladium retuli, ut illo me, si innocens oppressus essem, interficerem.

CCCLXXXVII.

Fortis abdicans servatum.

Desertorem filium, cuius desertoris salutem ipse fortis optaverat, abdicat.

DECLAMATIO.

Duas leges habui, viri fortis, & patris. Viri fortis legem, transtuli in patrem, patris, in virum fortem.

CCCLXXXVIII.

Avia testis.

Qui habebat matrem, duxit uxorem, ex qua natum filium, aviæ nutriendum dedit. Moriens hæredem filium fecit: substituit uxorem: dispensatorem suum manumitti iussit. Puer reductus ad matrem, & ab ea in fundo maritimo, visis piratis relictus, non comparuit. Post paucos dies 3 cadaver confusis lineamentis, quod filius putaretur, in idem

¹ Epicrates cum gladio.] Immo Iphicrates. Idem.

² Gladium retuli.] Lege attuli. Idem.

³ Cadaver confusis lineamentis, quod filius putaretur.] Omnino filii. Idem.

in idem littus ejectum, mater ductis sepelivit exequiis. Dispensator manumissus ab ea post aliquot annos negotiatum profectus, adolescentem, quem dominum diceret, apud venalitarium repertum, iudicio asserens, evicit. Cum eo revertit in patriam. Puerum agnoscit avia: negat suum mater.

DECLAMATIO.

CAusam, iudices, probatam peregre, probatam domi, propinquis, domesticis, libertis, aviæ (facinus indignum!) matri tantum probare non possumus, usque eo se libenter credit orbatam, ut suos non nisi mortuos agnoscat. Quod si antea ignotum fuit, quantum pecuniæ cupiditas possit, victrix etiam de natura triumphat. Mulier modo cadaver, tanquam filium, complexa: nunc filium, tanquam cadaver, fugit, quæ funus suum tantum sibi credit, gratulationem nemini credidit, infelicem puerum sola non agnoscit ex propinquis. Causam quæritis? quia vivit.

NARRATIO.

Habuius adolescentem optimum propinquum, mitissimum patronum, fidelissimum amicum: maritum veronimum quoque uxorium: quod ignovimus. Filium sustulerat. Puer continuo ad aviam translatus est. Scilicet ab illa matris indulgentia occupata est, & hæc ablatum non indignata est. Toto illi corpore innotuit: non tamen ulteriorem aviæ notitiam profiteor, nepotem suum optime facie novit. Moriens igitur propinquus noster, testamentum scripsit breve & simplex. Nam neque diu de primo hærede cogitandum fuit, habenti filium: nec de secundo, habenti uxorem. Nec sane invidimus isti honorata viri iudicia, quibus utinam gratiam referret. Neque avia captare testamentum ejus fas putavit, cui destinaverat suum. Hæc est nostra narratio, ista narret suos piratas. Non insequar eam malignis suspicionibus, nisi quod suos libentius mortuos agnoscit. Habetis narrationem pueri, habetis & matris: audite liberti. Interposito tempore, libertus notæ probi-

tatis

tatis (Deorum credo numine, quod rebus humanis, etiam qua non apparet, intervenit) peregre negotiandi causa profectus est; cum forte videt puerum venalibus interpositum, simul & agnovit, & agnitus est. Quis, inquit, vobis narravit, in quas terras delatus essem? num avia vivit? Itaque habuit puer assertorem, assertor sponforem, peregrinus advocatos, cum ipse vultus causam ingenuitatis suæ ageret: filium istius, quid aliud dicam, quam agnovissent? Nec mirum: nihil erat confusum. Fateor multum absentium quoque profuisse nomina, cum diceremus, Habet matrem, habet aviam. In una re, iudices, mentiti sumus. Affirmavimus enim futurum, ut hunc mater agnosceret.

ARGUMENTA.

Bona paterna filio peto. Sed ego, inquit, hæres sum. Sed hic prior hæres. Perit, inquit. Quando? apud aviam valuerat, ad mortem arcessitus est? diutius captivi apud piratas vivunt. Visis, inquit, piratis, relictus, fluctibus obrutus est. Quid ais, relictus? ulli metus filii memoriam tibi excutiunt? matrem non agnosco. Quædam animalia ipso ore in periculis catulos suos transferunt: novæque illis indulgentia manus commissa est: noxios alioqui morsus, huic uni officio mitigant. Nidulorum, si infestantur, crebra mutatio est: nec quicquam usque eo ferum est, ut non cum progenie sua migret: adeo illis, quibus omnium rerum intellectus negatus est, hic tamen affectus relinquitur. Romani generis auctor, divisus inter patrem & filium pietatis officiis, cum utrumque ad fugiendum anni deficerent, alterum tulit, alterum traxit. Mater disce fugere. Puto non miramini, cur mater non recipiat, quem tam vilem habet, ut tanquam cadaver relinquat. Primus, inquit, hæres perit. Nisi fallor, iudices, in hoc controversa est, utrum fluctibus submersus sit puer, an à piratis

T t

raptus

1 Ad mortem arcessitus est.] Alii, ad matrem. Ærod.

raptus sit. Si doceo non periisse, nimirum raptus est: si raptum ostendo, doceo etiam vivere: si vivit, nimirum hic est, quem invenit libertus, evicit assertor, iudex remisit, avia recepit. Verum, ut propositum ordinem sequar, nego in mari periisse. Littus amœnitate notum, nunquam elato alluitur mari, sed molliter devexum, æquali planitie, paulatim superveniente pelago, subsedit. Longo spatio ingredientem fatigat, antequam destituat. Porro, tu tranquillo mari, an æstuante progressa es? Credibilius scilicet ad hæc oblectamenta lætiores eligimus dies: horridus vero ¹decidentium undarum fragor, & exæstuantis fluctus minax facies, & tibi opportuna secundum ipsa habitandi littora, ² non rapienda, sed expectanda obfessio est. Ita habitas, ut tibi etiam tranquillitates eligere fastidiose liceat. Sane tamen adversis tempestatibus, & sævientibus secundis offerre libuerit: ne hoc quidem periculosum. venientis enim fluctus, & consurgentis freti facies ante terret, quam decipit. Utinam quidem ejusmodi tempestatibus productus esses, puer! ³ tu potius patrem reliquisses. Denique quo tempore submersus? dum applicant piratæ, an ante? necdum scis? tam segura es? hoc matri non credo. Cur enim nemo ex pædagogis vidit? si vidit, cur laboranti auxilium non tulit, dum applicant? necesse est utique tunc fluctus vitaverit, & ipse quoque piratas fugerit. An vero eodem tempore & pirata applicat, & fluctus prædatur? Rogo vos, qui ante adventum tutus fuit, adventu piratæ periit? Cur ergo, inquit, nemo clamantem audiit? Primum vicinus undarum sævientium fragor, audientium auribus minorem excludebat sonum, deinde in tanto tumultu fugientium, præteriisse vocem non mirum

¹ Decidentium.] Alii, *decidenti die.* & paulo post, *occafio est.* Pith.

² Non rapienda, sed expectanda obfessio est.] Alii apud Ærodius, *infectio.* Forte, *oblectatio.* Gronovius.

³ Tu potius patrem reliquisses.] Supple,

quam matrem, inquit Ærodius. Immo lege, *matrem:* & supple, quam illa te. Tu conterritus tempestate citius illam reliquisses, quam illa te, ut rapereris à piratis. Idem.

rum est. Quid ita non auditus est? Ne quæso, infelici puero vilitatem sui imputaverit, quod relictus, quod desertus est. Cur non audisti? longius fugeras. Sed post paucos dies, corpus expulsum est. Quid mirum, ubi piratæ vagantur? Quid tu porro, impune sæpe maria trajici putas? non minus possum dicere alienum fuisse, quam tuum filium: signa confusa sunt: imo credibilis est, naufragi fuisse (littus enim amœnum, non infestos scopulos habet) utique post paucos dies, cum dicas expulsum: illum vero longo tempore non expulsum, sed advolutum. Quomodo autem potuit confusa facie agnosci? Æras, inquit, conveniebat. Hoc inter argumenta mea minimum est, statura: hoc in actione loci. Quare ergo mater sepelivit? nescio, hoc unum dico, non potuerat agnosci: festinavit in bona.

S E R M O.

Summovimus peregrinum cadaver: restat ut inducamus filium.

D E C L A M A T I O.

Primus, inquit, hæres sepultus est. Hic ergo quis est? unde? qua fiducia? Æras eadem est. Quid si solet quidem hoc argumentum apud te valere? Sed cur ex æqualibus nemo alius hanc spem vindicat? hoc argumentum transeo: statura suffragatur: nec hoc me movet, & tu hæc dicis. Sed hæc valeant, ubi confusus est vultus, ubi lineamenta oris, oculorum, & coloris proprietates, capillorumque habitus, omnia staturæ levia. At similitudo fecit illi animum. Age, quid si ancilla cognoscit? Est quidem humilis persona, & ei fortuna gravitatem detrahit. Sed sæpe² magnorum fides ex magnis venit. Quid si frugi, probata domino? Sunt etiam in his morum discrimina. Quid? ad fontem causæ per gradus venio. Libertus paternus agnoscit: frugi servos, libertos facimus: fortimur genus, non eligimus: nec ante nos nostri arbitrii sumus. Et nescio an ma-

jus

1 In bono.] Malim: in bona. Pith. | Videtur potius legendum ex parvis. Pithæus.
2 Sæpe magnorum fides ex magnis venit.]

ius sit facere genus. libertus viri tui, mulier, cujus iudicis gloriaris, qui te filio substituit, hunc etiam à filio manumisit: quod tibi dedit, nulli abstulit: quod huic, etiam filio subduxit. Facilius est viro placere, quam domino. Sed per se mentitus agnoscit patronum. servitatem sibi manumissus imponit? Huic (inquit) debeo manus, operas, testamentum. Vindictam magno redimere solent. Colludit, inquit, cum avia. Bene agis. Dum evertere vis testem, alterum dedisti. Convenit, inquit, illis. Proba convenisse. Speraverunt effectum mendacii. Qui potuit esse sermo? Nepos meus periit fluctibus, & sepultus est. Tu tamen vade, aliquem venalem adduc, ego agnoscam, perfectum est. Non timent deprehendi? non omnia signa confusa sunt. si odit, testamentum potius dementiae accuset; dicat subjectum, dicat falsum, accuset te quod filium ad mare duxeris: dicat, tua culpa periisse. Quare deinde tam sero post annos consilium initum est ejusmodi? Res inter initia urunt, & livor mora solvitur. Sed ad hoc proficiscitur, qua ratione alienum servum evincit: modo dicebam, libertum habeo, at jam praëjudicium habeo: si testis honestior juraverit, conficitur controversia. At ego multos iudices juratos dabo: causa cognita; excussa & absoluta est. Nego solvenda esse iudicia: hunc esse puerum, inventi sunt, qui jurarent. Peregre, inquit. illic dicis, ubi non gratia, ubi contra hæc omnia nuda veritas stabat: hoc meum argumentum est. Quid? quod non tantum iudicatum, sed etiam peregre iudicatum est, ubi non propinqui, ubi vix quisquam erat, qui patrem hujus nosset? At hercules, quale domi iudicium est? ibi solus libertus vicit: hic & avia defendit. Dedit, inquit, libertus pecuniam venalitario, ut praëvaricaretur. Sane nec avia libertum timuerit, nec libertus venalitarium. Proba libertum habuisse pecuniam, tulisse, dedisse: necesse est multum

vena-

[Speraverunt effectum mendacii.] Lege: speraverint. Sic ita, concedo, potuerit illis hæc spes innasce. Grm.

venalitiarius poposcerit. Æstimavit enim non rem suam, sed spem nostram. Age deinde, non timet libertus, ne ille qui puerum vendidit, ¹ ubi vendat indicium? ne veniat, ne scribat? si corruptum iudicium non probas, vici. Agnoscit avia, quæ majorem temporum partem hujus oblectatione consumpsit. Filius meus, inquit, in hac ætate talis fuit. Digna est testis notitia, de nepote dicit causam: nullum testamentum captat, etiam suum pignoratur. Sero hoc placuit: hoc & tuum argumentum est. Filium sustulit: pudicæ argumentum est, hunc curiose educavit, in nullum littus duxit. Sed filius illam notavit. Si merito, hujus crimen; si immerito, illius. Dic quare? immo noli mortuum illius criminari filium: non queritur: sed sperat pecuniam. Primum ejus ætatis est, ut debeat contemnere. Odit me, inquit. Quam habet injuriam tuam? nihil queritur: nisi quod filium tuum in littus duxisti: ideo perierat: nimirum oscula sua venalitiarius inquinat. Non debeo, inquit, videri invita filium agnoscere: mater sum. In multis, nihil matris ultra titulum est: nec novercæ omnes.

S E R M O.

In matrem & illa Cicero dixit: Mater enim à me, tametsi in hunc hostili odio, & crudelitate est, mater, inquam, appellabitur. Sub hoc tamen titulo insidiatam filio dicit quæsisse pericula, ut filii sui bona sector possideret.

D E C L A M A T I O.

Nihil quidem ultra hæc timendum fuit: & supra fidem læsus est. Gratulari tamen tibi inter calamitates tuas, cruenta, possum, quod avia secunda hæres non fuit. Multa sunt, quæ animum tuum sollicitent: ingentis patrimonii hæreditas, & gravior possessionis, quam spei jactura est: & diu cum ea fuit. Illa tecum (habeo certum) cogitas, Si

reci-

¹ Ubi vendat.] Lege, tibi vendat. Pith. | scribendum, tibi. A te pecunia accepta omnem mimum detegat. Gronovius.
Ubi vendat indicium.] Ærodius: ibi. sed

recipio, ducet uxorem, quam fortasse cariorem habeat quam matrem. Ergo sola obstat patrimonii cogitatio. A piratis dimissum, à fortuna, ô te, liberte, inofficiosum! reduxisti, non ad imagines, sed ut propius amissam dignitatem aspiceret. Etiam, inquit, fortunam meam noveram. Non est puer, quod cum liberto queraris: omnia tibi reddit, præter matrem.

HABET HUCUSQUE CONTROVERSAS
NUMERO CXLIII.

I Habet huc usque Controversias numero CXLIII.] Sic vetustissimum & optimum exemplar S. T. R. quod Claudii Falceri V. C. doctiss. beneficio habuimus. Sequebantur vero in eodem exemplari declamationum Annæi Senecæ libri decem, breviati illi quidem, ut alias separatim editi sunt, sed aliquanto tamen meliores vulgatis, cum hac inscriptione, INCIPIT SENECA DECEM RHETORUM: quem etiam in aliis exemplaribus titulum fuisse vel illa Io. Salisberienensis ex lib. 8. Polycr. arguunt. Legantur, inquit, & libri illi quos Seneca decem oratorum sententiis sub imagine declamationum scholarium illustravit. Esse autem illas declamationes non L. Annæi Senecæ, quem Nero quinquennii

magistrum habuit, sed patris ipsius quem Marcum quidam prænominant, & nobis ante visum fuit, & ab elegantissimo diligentissimoque antiquitatis Lipsio nuper in Electis notatum est. Post has incipiebant, EX CALPURNIO FLAC. EXCERPTAE X. RHETORUM MINORUM. quo ordine superior nostra conjectura de hac inscriptione nonnihil confirmatur. Sed nec illud dissimulare volumus in illo optimo & vetustissimo codice Calpurnii Flacci vix superfuisse quartam partem: reliqua nos habuisse ex Italico exemplari non adeo vetusto. Quis autem hic Calpurnius fuerit, alii fortasse dicturi sunt: mihi quidem nondum scire contigit. *Pithæus.*